

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0165

0163

0169

0159

0174

0154

0214

0114

0264

0064

0664

154

et nomine. Situ quidem, sicut jam dictum est, nec aliquo modo jungitur haec vallis mari mortuo, sed montes sanctos disjungit. Conditione, quia illa est infructuosa, petrosa, tenebrosa etc.; haec autem e contrario est fertilis, graminosa, lata et clara. Insuper et nomine differunt. Alia enim dicitur Gehenna, vallis maledictionis, illa autem dicitur vallis benedictionis, de qua habetur 2. Paral. XX. Unde ibidem habetur, quod hoc nomen accepit vallis illa a laude divina, quam Josaphat, rex Jerusalem, et populus Juda ibi perfecerunt, data eis victoria contra hostes. In hac valle vidimus ruinas antiquarum structurarum. In processu venimus in (239 A) locum quendam, ubi erant infinita aspidis foramina et serpentum, magna et parva, nullam tamen bestiam vidimus, quia solum noctibus procedunt extra. Dixit autem nobis Ameth, ductor noster, quod ibi essent vermes magni ut hominis brachium, et longi ut cuspides. Cum ergo diu in valle benedictionis contra aquilonem procederemus, iterum valle illa dimissa vertimus nos contra orientem, et per devia montium, per saltus et clivos et praecipitia descendimus, ipsumque mare ante oculos in prospectu habuimus, ac si prope esset, quamvis adhuc multum distaret. Acceleravimus ergo iter nostrum et festinanter descendimus, quia sol ad occasum vergebat, et tandem in regionem Sodomorum venimus usque ad littus maris mortui, in ejus capite, ubi Jordanis faucibus ejus excipitur.

Porro Ameth, ductor noster, et sui famuli Mauri longius a mari manebant, quia ipsum horrebant, et usque ad aquam maledictam descendere dedignabantur, nos autem in bestiis usque ad aquam venimus et colligatis asinis descendimus. Deprehendimus autem, ibi in ruinis stetisse quondam grandem domum de quadris, partem super terram, et partem in mari locatam. Jacebant autem lapides magni de ruinis in littore aqua non operiti, et tamen in aqua fundati, super quos transivimus ad XII passus in mare, et aquam illam, de qua tanta mirabilia referuntur, vidimus, tetigimus et gustavimus. Clara quidem est aqua illa, sed salsissima et crassa, propter quod nonnumquam hoc mare in Scriptura mare salsissimum vocatur. Unde, quando quis accipit de hac aqua, et ori eam imponit,

Ende

Anfang